



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

III. Vtrum sit aliquis ordo inter objecta fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

tro reperitur complexio mentalis, vt in hoc assensu fidei *Iesus est Deus*, & in aliis similibus.

46
Complexio
mentalis ve-
peritur semper
in fide,

Loquendo verò de complexione mentali, quā diximus reperiri in secūda operatione intellectus quatenus fit per compositionem, vel diuisionem, dicendum est, reperiri semper in fide nostra: semper enim credimus veritates regulatas per compositionem prædicati cum subiecto. Quod colligitur in primis ex eo, quod homines communiter hæc obiecta credenda accipiunt per voces humanas, quæ repræsentant hæc obiecta complexè per propositiones vocales constantes ex subiecto & prædicato, quare generant species similes subiecti, & prædicati aptas ad generandas apprehensiones distinctas de extremis, & ad quos sequatur assensus complexus componens prædicatum cum subiecto. Deinde ratio magis vniuersalis esse potest, quia quoties veritas propositionis non apparet clare, vel saltè obsecrè ex se, sed credenda est propter aliud medium, & motiuum, necesse est adhibere discursum formalem, vel saltem virtualem ad eis assentiendum. Omnis autem discursus formalis, vel virtualis accipit suam vim, & efficaciam ex illis principiis, *dicti de omni*, & *dicti de nullo*, in quibus fundatur tota vis syllogistica, vt suppono ex Logica. Quare non potest concludere, nisi ex eo, quod duæ extremitates conclusionis coniungantur prius singulæ cum medio in præmissis, vt postea in conclusione coniungi possint inter se propter coniunctionem quam vtræque habet cum medio: cum ergo quæ fide credimus, credamus propter aliud, nempe propter motiuum fidei, quia nimirum quæ Deus dicit, vera sunt, & dicit hoc; necesse est, quod in iis præmissis formalibus, vel virtualibus fiat compositio, coniungendo medium cum singulis extremis, nempe rem ad Deo testificatam, quæ est medium coniungimus in maiori cum veritate, & in minori cum hoc obiecto particulari, vt postea in conclusione formali, vel virtuali coniungamus vtrumque extremum inter se, nempe hoc obiectum cum veritate, debet ergo & in præmissis & in conclusione coniungi prædicatum cum subiecto, alioquin nec in præmissis coniungetur medium cum singulis extremis, nec in conclusione coniungentur extrema inter se, propterea requiritur ad hoc vt ex medio deducamus assensum conclusionis.

An verò Angelus in assensu fidei debeat etiam assentiri per compositionem, & complexionem mentalem, pender ex questione illa, an Angeli possint in aliquibus materiis discurre formaliter, vel saltem virtualiter; de qua dicendum erit in tractatu de Angelis.

SECTIO III.

Utrum sit aliquis ordo inter obiecta fidei.

47
Obiecta fidei
alia sunt ne-
cessaria sim-
pliciter: alia
sunt contin-
gentia.

DE ordine dignitatis non est dubium, cum aliqua sint digniora & nobiliora in sua entitate, vt ea quæ pertinent ad Deum in se, & rursus ea, quæ pertinent ad Christum Dominum, & sic de aliis. Non dico, esse digniora fide, sed esse maioris dignitatis, & nobilitatis in se. Neque etiam est dubium de ordine necessitatis; nam ali-

qua sunt necessaria simpliciter, vt essentia, & tributa Dei: item immortalitas animæ rationalis, & similia. Alia sunt contingentia, vt creatio mundi, passio Christi, &c. Denique nec est dubium de ordine durationis, cum aliqua sint æterna, & ab æterno; alia temporalia, sed præterita, alia futura.

Tota difficultas esse posset de ordine in esse credibilis, an scilicet credibilitas aliquorum obiectorum pender à fide aliorum, quæ debeant prius supponi credita. Quam questionem late tractat Suarez *disp. 2. sect. 4.* Cum tamen suppositis nostris principiis nihil superflue difficultatis. Comparari autem possunt, vel obiecta materialia fidei inter se, vel formalia inter se, vel materialia cum formalibus. Inter obiecta materialia, quæ nimirum creduntur propter diuinum testimonium, Dur. in 3. *diff. 24. q. 1. & 3.* dixit, primum locum tenere auctoritatem infallibilem Ecclesiæ, vt fundamentum ad reliquos articulos credendos. Hanc tamen sententiam bene impugnat Hurt. *disp. 1. sect. 5.* & constat ex iis, quæ diximus *disp. 1. sect. 12.* vbi vidimus posse aliqua credi fide diuina ab eo, qui Ecclesiæ auctoritatem nondum audiuit, nec agnouit, quamuis communiter, & regulariter fideles non soleant fide diuina credere, nisi quæ ab Ecclesiâ accipiunt, quam consulunt vt certam regulam credendorum.

P. Suarez *disp. 2. sect. 4. n. 5. & sequentibus* videtur docere, quod inter obiecta materialia fidei debeat esse ordo, quia fides aliorum obiectorum pender semper obiectiue à fide horum duorum, quod scilicet Deus sit verax, & Deus hæc dixerit, quæ nisi fide ipsa credantur, nihil aliud potest per fidem credi; cum hæc duo sint motiuum formale credendi reliqua. Vbi videtur transire ab obiectis materialibus ad formalia; nam illa duo sunt obiecta formalia fidei, quare ordo inter illa, & alia obiecta non erit ordo inter obiecta materialia, sed inter formalia, & materialia. Vnde Hurtado *vbi supra sect. 6. §. 22.* indicat defectum consequentiæ in hac Suarez doctrina. Verum Suarez loquutus ibi est iuxta suam sententiam, quæ docet, veracitatem, & testimonium Dei, propterea mouent ad reliquas veritates credendas, debere credi per eandem fidem etiam vt obiecta materialia, hoc est, quia idem Deus dicit, se esse summe veracem, & se reuelasse reliqua omnia, quare illa duo simul debent esse obiectum formale, & materiale; imò nec possunt esse obiectum formale, nisi quatenus sunt obiectum etiam materiale creditum propter eandem Dei auctoritatem illa duo testificantis. Quam sententiam fateor mihi semper inintelligibilem fuisse, vt constat ex iis, quæ latius dicta sunt *disp. 1.* Quia si illa duo principia sunt obiectum etiam materiale creditum propter motiuum formale fidei, quodlibet ex illis debet credi propter alterum etiam comprincipium: nam Deum esse veracem, v. g. debet credi, quia Deus dicit, se esse veracem, & contra, Deum id dicere, debet credi quia Deus est verax: vnde quælibet ex illis præmissis probaret, & inferret veritatem totius obiecti, quia hæc præmissa probat alteram, cum qua probet sufficienter conclusionem, ergo ex vna præmissa inferret tota veritas conclusionis, quod manifestè repugnat in tota arte syllogistica, in qua vna præmissa nihil probare potest. Rursus non minus repugnat, quod altera præmissa debeat per alteram probari: nam licet in censibus physicis aliqui

aliqui concedant de facto, vel de possibili mutua causalitatem & prioritatem; huiusmodi tamen motiui formalibus voluntatis, & intellectus ea mutua causalitas omnino, & essentialiter repugnat. Nam in voluntate, si medium amaretur solum propter finem, & finis amaretur solum propter medium, utrumque esset medium sine illo prorsus fine, quia nihil amaretur propter se, & sistendo in illo, sed semper propter aliud, quod quidem repugnat voluntati, quod non habeat semper bonum aliquod in quo sistat. Sic etiam multo magis intellectus, si vnam præmissam credat propter alteram, & e contra, neutram crederet ultimo, sistendo in illa; & per consequens Syllogismus ille nunquam reduceretur ad propositiones primas, & immediatas, cum nulla esset, in qua sisti posset, & quæ non esset probanda per alteram, quæ altera probanda cursus esset per hanc primam: quæ omnia intelligi non possunt, & funditus evertit omnes regulas syllogisticas, Denique non apparet, quomodo non procedatur in infinitum querendo motiuum: nam si seum esse veraciter credere debemus semper, quia id Deus dicit, & rursus, Deum id dicere credimus, quia Deus dicit, se id dicere, hoc etiam ipsum debemus credere, quia Deus dicit: nam in hac sententia nihil creditur sistendo in ipso, sed quidquid creditur est obiectum materiale, & creditur propter aliud: unde vel procedendum est in infinitum in motiuo credendi, vel sistendum in aliquo motiuo, quod non credatur propter aliud, & illud iam non erit obiectum materiale fidei sed solum formale, quod esset contra P. Suarez volentem omnia motiua formalia fidei esse debere obiecta etiam materialia credita propter motiuum fidei: quod, ut dixi, intelligi aut capi non potest.

51 Dixi autem, hoc multo minus intelligi posse in motiui intellectualibus, quam in motiui voluntatis, quia in voluntate posset fortasse aliquis excogitare casum, in quo medium amaretur propter finem, & finis ipse amaretur aliquo modo propter medium, v.g. si offerretur Petro officium in aula honorarium, cui officio post triennium annexum esset aliud officium magis honorificum necessario obeundum ab eodem Petro in aula, posset quidem Petrus moueri ad acceptandum primum officium partim propter utilitatem, quæ habet ut medium ad subsecuens officium acquirendum: & rursus posset subsequens officium desiderare, & intendere, partim propter maiorem honorem, quem in se habet, & partim propter honorem primi officij, quod non potest acceptari sine necessitate, & obligatione ad secundum officium obeundum. Et quidem contingere etiam posset, ut sese inuicem iuarent illa motiua ita, ut nec primum officium acceptaretur sine commoditate acquirendi secundum, quia ille honor, quem secum affert primum officium fortasse non acceptaretur cum eius oneribus; rursus secundum officium seorsim à primo non acceptaretur cum maiori eiusdem officij onere, nisi moueret etiam honor primi officij. Sed tamen honor, & commodum resultans ex utroque officio bene gesto tanti fiat in æstimatione hominum, ut propter illud complexum prudenter suscipiatur onera, & labores utriusque officij: quo casu utrumque officium esse videtur, & medium ad alterum, & finis alterius acceptandi, Sed tamen tunc & in singulis officiis inuenitur bonitas aliqua propria independens à bonitate alterius; & licet singulæ ex illis bonita-

Card. de Lugo de Virtute Fidei Diuina.

tibus seorsim non mouerent prudenter ad eas intendendas; complexum tamen ex utraque prudenter moueret; & in rigore illud solum complexum per modum complexi esset finis, & singula officia non intenderentur ut finis, sed solum ut media ad illud complexum, quod solum esset prudenter appetibile propter se.

52 Ceterum si res attentè consideretur, & cū debita proportionē applicetur, hoc ipsū contingere posset in intellectu: possent enim poni duæ præmissæ, quarū vniuscuiusque veritas appareat quidem in se, & immediatè non tamen plenè, sed semiplenè, atque adeo singulæ seorsim nō acceptarentur ab intellectu. Ceterū alterius veritas probatur etiā ab alterius veritate, & ideo singulæ acceptantur, & creduntur, quia nimirū veritas primæ præmissæ semiplenè apparet in se, & semiplenè infertur ex altera, non propterea probata per istam (hoc enim esset impossibile) sed propterea semiplenè etiam apparente in se independentè ab hac: unde ex utroque capite mouetur sufficere intellectus ad assensum huius præmissæ, quia partim apparer in se, & partim infertur ex altera, propterea illa etiam semiplenè apparet in se independentè ab hac, & eodem modo mouetur etiam ad assensum alterius præmissæ: quo casu assensus, cuiusque præmissæ esset mixtus & medius: quid, nempe semimmediatus, & semiimmediatus: sicut quando eligeres medicinam, partim propter eius delectationem, & partim propter utilitatem ad sanitatem, ita ut nec propter delectationem solam, nec propter utilitatem solam eligeres, quia modicæ sunt sed propter utramque simul appetis, tunc volitio illa esset semielectio mediæ, & semiamor finis respectu medicinæ, & actus mixtus tertie speciei. Sic dicendum esset in intellectu in casu posito. Sed illud totum non refert ad defendendam, vel explicandam illam Suarezij sententiam, nam si ipse diceret, hoc modo se habere, & adiuuare sese inuicem illa duo principia veritatis, & reuelationis diuinæ, ut veritas, v.g. crederetur, partim quia apparet quasi semiplenè in se, & partim quia infertur semiplenè ex reuelatione diuina, quatenus reuelatio apparet etiam semiplenè in se independentè à veritate; si hoc, inquam, diceret, in primis iam sequeretur contra ipsum, quod assensus fidei resoluitur ultimo saltem partialiter in veritatem, & reuelationem Dei, propterea apparentes in se ipsis, & non propterea creditas propter aliud: quod tamen ipse falsum putat, & contendit, non resolui villo modo in veritatem Dei, nisi quatenus veritas ipsa est credita propter reuelationem, neque etiam resolui in reuelationem, nisi quatenus est credita propter veritatem Dei. Et quidem fierent contra ipsum ex illa parte argumenta omnia, quibus ipse vitur ad probandam suam sententiam: quia assensus ille veritatis diuinæ, quatenus non est propter reuelationem, non esset æquè firmus, cum ex ea parte non resolveretur in testimonium diuinum, & alia omnia, quæ ipse infert. Deinde nec explicari posset in casu nostro, quomodo etiam semiplenè dependeret assensus veritatis Dei à diuina reuelatione, propterea apparente in se independentè ab eadem veritate: quia reuelatio Dei, non solum semiplenè, sed nec etiā plenè in se apparens, non potest probare villo modo veritatem rei reuelatæ independentè à veritate loquentis. Non enim arguitur bene ex reificatione alicuius ad veritatem rei testificatæ, nisi supponendo illum esse veracem:

M 3 ergo

ergo nec semiplenè posset probari veracitas diuina ex reuelatione de veracitate in se semiplenè apparente independenter ab eadem veracitate: quare etiam in hac semiplena probatione deberet veracitas probari per se ipsam.

54
Veracitas
Dei potest
credi ut ob-
iectum mate-
riale fidei.

Ad vitandam ergo hanc inconuenientiam, fatendum nobis est, ut diximus *disp. 1.* assensum fidei resolui ultimo in veracitatem Dei ut cognitam independentem à reuelatione, & in reuelationem etiam ut cognitam independentem à veracitate. Fatemur, posse etiam credi veracitatem Dei, sicut obiectum materiale propter reuelationem, & testimonium primæ veritatis; quia ipsa etiam veracitas Dei reuelata inuenitur: sed tamen tunc etiam veracitas ipsa, & eius fides resolveretur ultimo in reuelationem, & in eandem veracitatem, ut in se apparentem independentem à reuelatione, ut latè explicuimus *eadem disp. 1.* ubi etiam respondimus ad omnia fundamenta, & inconuenientia, quibus P. Suarez suam sententiam probare conatur. Vnde consequenter respondendum iam est ad quæstionem propositam, nullum esse ordinem necessariæ dependentiæ inter obiecta materialia credita ad inuicem, sed singula posse seorsim ab aliis credi, sicut singula potuerunt seorsim à Deo reuelari. Dixi tamen, *seorsim ab aliis*, hoc est, ab iis obiectis quæ in hac veritate particulari non includuntur, nec essentialiter supponuntur, v. g. non possumus credere Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, nisi credamus in Deo esse Patrem & Filium, & Spiritum sanctum. Item non possumus credere Deum esse remuneratorem, nisi credamus, Deum esse. Item non possumus credere, omnes homines resurrekturos, nisi credamus, omnes morituros; resurrektio enim supponit essentialiter, imò includit in aliquo mortem præcedentem. Loquimur ergo solum de obiectis, quæ ex se, nec includunt, nec supponunt essentialiter alia. Existencia verò Dei necessariò credenda est ad omne aliud obiectum per fidem credendum: illa tamen non debet semper necessariò credi ut obiectum materiale sed potest se tenere ex parte motiui formalis: credendo enim Deum esse veracem, vel certè, Deum reuelare, eo ipso credimus, Deum esse, cum non possit reuelare, nisi Deus existens, atque ideo existentia Dei tunc tenebit se magis ex parte motiui formalis.

55
Comparando
obiecta for-
malia fidei
inter se, quem
dicunt esse or-
dinem inter
ipsa obiecta
P. Suarez.

Comparando verò obiecta formalia fidei inter se, P. Suarez *dicta sect. 4. n. 14.* dicit, inter obiecta ipsa esse ordinem in suo esse, quia prius est, Deum esse veracem, cum sit ipsa essentia Dei, quam Deum loqui: in esse autem credibilis nullum esse ordinem inter veracitatem, & reuelationem, cum neutra possit credi, nisi propter alteram, nempe veracitas propter reuelationem, & reuelatio propter veracitatem, quæ se se inuicem iuuant ut credantur. Sed licet quoad hoc sit quæstio de nomine, sed tamen consequenter potius videretur, quod P. Suarez debuisset fateri ordinem prioris, & posterioris inter illa duo motiua fidei: nam illi qui admittunt dependentiam, causalitatem mutuan inter causas physicas, & non negant inter illas ordinem prioris, & posterioris, imò consequenter sicut concedunt mutuan dependentiam, ita concedunt mutuan prioritatem, & posterioritatem: omnis enim dependentia eo modo, quo est dependentia, affert ordinem prioritatis, & posterioritatis. Cum ergo P. Suarez ponat mutuan dependentiam inter illa duo mo-

tiuua fidei in ratione credibilis; non debet negare ordinem, sed consequenter ponere etiam mutuan prioritatem & posterioritatem inter illa. Sed hæc, ut dixi, erit quæstio de modo loquendi, supposita illa sententia. In nostra autem, sicut non ponimus dependentiam illorum motiuorum ad inuicem in esse credibilis, ita nec agnoscimus in eo genere prioritatem, aut posterioritatem, inter illa.

Denique comparando obiecta materialia fidei cum formalibus, non est dubium, quod debet esse ordo inter illa, cum obiecta materialia dependant à formalibus in ratione credibilis, & non è contra: motiua enim veracitatis, & reuelationis non creduntur propter obiecta materialia, quæ tamen credi non possunt propter se, sed propter illa motiua. Et de his non potest esse difficultas.

SECTIO IV.

Utrum articuli fidei conuenienter in symbolo tradantur.

DE his agit S. Thomas *hæc quæst. prima ab art. 6. usque ad 9.* quæ facilia sunt. Et in primis articulorum nomine intelliguntur communiter non omnes veritates reuelatæ, quæ in sacra Scriptura, vel Conciliis continentur, sed præcipua capita: nam sicut contextura corporis humani certis artibus, & articulis sustinetur, & connectitur, ne dissoluatur; sic in fide nostra sunt aliqua magis principalia, & capitalia, quæ si dissoluerentur, facile reliqua fidei contextura rueret.

Ex his potissimum articulis symbola tria composita sunt. Symbolum Apostolorum, Symbolum Nicænum, & Symbolum Athanasij, quibus tribus solis Ecclesia vniuersalis vtitur. Vocantur autem symbolum, quasi tessera, quæ militibus dabatur, ut sese inuicem cognoscerent, & dignoscerent hostes. Quamuis propriè signum, quod in certis verbis consistebat, vocabatur *symbolum*; quando consistebat signum in re aliqua, dicebatur *tessera*. Appellatur etiam symbolum, quod ex multorum contributione colligebatur. Vtque ratione hoc *symboli* nomen applicatur symbolo fidei: quod nimirum compositum est, ut co signa fideles sese inuicem agnoscant, & ab infidelibus, vel hæreticis dignoscantur: ad quem finem oportuit omnino breuem hanc fidei formulam omnibus communem tradi, ut sicut episcopi, & alii datur formula professionis fidei faciendæ, longior quidem & clarior, prout decet Prælatos, & Magistros; ita omnibus fidelibus daretur formula alia omnibus vtilis, & accommodata, quæ, ut dixit Augustinus (vel quicumque est auctor *serm. 115. de tēpore*), est *comprehensio fidei nostra simplex, breuis, & plena, ut simplicitas rudiat, breuitas memoria, & plenitudo, consulet doctrina*. Non ergo oportuit plura tradere omnibus, qui memoria retinere ea non possent, nec obscura, quæ non ceperent; neque tamen debuerunt prætermitti necessaria, qualia sunt, quæ in Apostolorum symbolo continentur, licet non omnia fortasse æquali gradu necessitatis, ut videbimus infra agentes de necessitate fidei.

Porro symbolum illud, quod Apostolorum appellatur